



850.

1762, 5.

BONA VXORIS
PARAPHERNALIA ESSE
PRAESUMENDA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.

LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXIV. MART. A. C. MDCCLXII

DEFENDIT

THEOPHILVS RVDOLPHVS CVNITIVS

ZITTAV. LVS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEIMIA

BONA VXORIS
BARBARA HERMANIA ESSE
FRATRY MENDAE

HELVETIIS ICTORVM ORDINIS
CONSERVAT
THEATRO
D. HENR. GODOFRIDO BAVERO

BYTUM CIVITATIS ET COMITIS
MUNICIPALIS
IN AVDIORIO ROTORVM
D. HENR. GODOFRIDO BAVERO
D. HENR. GODOFRIDO BAVERO

THEORIAS MATHEMATICAS
D. HENR. GODOFRIDO BAVERO
L. I. P. S. I. A. E.
EX OFFICINA BARNHARTSIANA





DOTALIA
AN PARAPHERNALIA PRAESUMENDA
SINT VXORIS BONA.

§. I.

Cum ante hos tres dies de iure artificialicus vxoris *Instituti ratio.*
operis quaesitorum disputarem, incidi in eam
quaestionem, qualitas dotalis bonis vxoriis an
recte affingatur. Quod negavi, vsus rationibus, quas puta-
rem huic rei inprimis conuenire. Quoniam vero ICTos
primi ordinis hanc sententiam tueri intelligo, dignissimam
iudicavi hancece controuersiam, cui diutius immorer, vtque
periculum faciam, quae nudius quintus affirmassem, si con-
tra tam graues acutosque ICTos sustinere valeam. Ita enim
statuit IOH. VOET. *in Commentar. ad Pand. L. XXIII. Tit.*
III. §. 2. BERGER *in Oecon. Iur. L. I. Tit. III. §. 10.* SCHIL-
TER *in Exercitat. ad Pandect. XXXVI. th. 80. seqq.* et LEY-
SER *in Spec. CCCII. Medit. 4. sqq.* COLERVS *Part. I. De-*
cis. 57. A. FABER *in Cod. Lib. V. Tit. IX. def. 13.* BERLI-
CHIVS *Part. I. Concl. 65. n. 69.*

§. II.

Neque tamen omnes indistincte hoc, et omnino affir- *Exponitur*
mant, quod COLERVS et VOETIVS *citt. ll.* facit, et quan- *sententia in-*
docunque illata fuerint bona, statim, quo tempore contrahe- *terpretum.*
retur coniugium, an durante eo, dotalia ea habenda esse dicit.



In eandem sententiam incidere videntur ANT. FABER. et hunc secutus BERLICHIVS, *noxcitt. locc.* SCHILTERVS vero BERGERVS et LEYSERVS mediam sententiam amplectuntur, et praesumptionem pro qualitate dotali ad ea restringunt, quorum mulier statim tempore contracti matrimonii domina fuerit, quae vero post nuptias, ac durante coniugio obuenerint, ea potius paraphernorum iure censenda esse concedunt. Primo, quid de hac SCHILTERI et qui eum secuti sunt sententia habendum sit, videamus, quod si enim contra hanc, quae se in primis commendat, stetisse contigerit, leuissimum erit, alteram profligandi, negotium.

§. III.

*Sententia
Schilteri ex-
ponitur.*

Sic igitur SCHILTERVS *cit. loc.* si qua mulier statim, quo ducitur tempore, bona inferat, nec diferte declaret, quantum dotis nomine haberi velit, haec omnia habenda esse dotalia. Et hoc quidem per se patet, si dixerit mulier, se partem bonorum suorum dotis nomine illaturam, reliqua non posse, inuita ea, eodem iure censerit, quia quilibet dominus, quamcunque libuerit, rebus suis recte legem statuit. An vero, si nihil dixerit foemina, quae intulerit, eo animo, ut dos haberentur, intulisse censenda sit, paulo curatius consideremus.

§. IV.

*Tradantur ar-
gumenta Schil-
teri.*

Rationes, quibus firmandae huius suae sententiae ergo vitur, haec sunt, ut prouocet ad ipsam dotis, quae ad ferenda matrimonii onera marito datur, definitionem, facile enim, inquit, mulierem, quae ab initio statim coniugii, nulla illationis causa expressa, inferat, habendam esse eo animo, ut ad sustinenda matrimonii, quod ingrediatur, onera, quorumque adeo ipsa
pro



pro parte sit causa efficiens, simul conferantur, intulisse. Deinde dicit, in *Const. El. 28. P. I.* Serenissimum Llatorem dotem appellare, eingebrachtes Guth, eoque ipso hanc ratiocinandi rationem probare.

§. V.

Quibus argumentis, quae per se aliquam veritatis speciem habent, haec etiam iungit speciosiora LEYSERVS *Spec. CCCII. Medit. V.* Quippe CIGERONIS auctoritate vitur, qui sic habet in *Topic. §. 23. Quum mulier viro in manum conuenit, omnia, quae mulieris fuerunt, viri fiunt*, dotis nomine. Deinde ex eo, quod ex *l. 23. D. d. I. D.* appareat, vt expressè dotis mentio fiat, et eius nomine stipulatio, haud oportere, modo dotandi animus ex aliis circumstantiis pateat, qui, nisi aliud conuenerit ex *l. 30. D. d. I. D.* praesumatur, praesertim cum ex *l. 70. eod.* in ambiguis pro dotibus sit respondendum. Denique, vt commendet suam sententiam, idem sentire dicit BARTHOLVM, BALDVM, HARTM. PISTOR. et CARPZOVIUM. Nec alia habet BERGERVS in *Oec. Iur. L. 1. Tit. III. §. 10.* quibus fulciat hanc opinionem argumenta.

Recensentur
Leyseri argu-
menta.

§. VI.

Neque tamen haec omnia eius sunt grauitatis, vt me conuincant. Verum est, quod dicunt, dotem esse pecuniam marito datam ad sustinenda matrimonii onera. Id vero non intelligo, an ex eo consequatur, existimanda esse, quaecunque propria sint mulieris tempore nuptiarum, in hunc finem marito data. Subsistit quidem dotis constitutio, vereque constituta dos esse intelligitur, etsi instrumenta dotalia nulla propterea fuerint confecta, consensu tamen fo-

Refelluntur
haec argumen-
ta.



minae opus est, quod ex *l. 9. §. 2. D. d. I. D.* patet, ibi *ULPIANVS: Dotis autem causa data accipere debemus ea, quae in dotem dantur.* Ex quo patet, nisi mulier, se dotis nomine, aut ad sustinenda matrimonii onera dare, declaret, dotem constitutam non esse habendam. Quidni enim, si haec esset iuris ratio, vt, quodcunque foeminae esset, statim, quo tempore nuptiae contrahuntur, marito dotis nomine quaesitum haberetur, nisi dissentiat mulier, quidni igitur hoc praescriptum foeminae, vt declaret, dotis nomine se dare nolle, si nolit, vt habeatur. Quod quum non factum sit, cum potius sola ea, quae dotis causa data sint, dotem constituere dicantur, id mihi vehementer persuasum habeo, nisi, se ad sustinenda matrimonii onera dare, declarauerit, quae dederit marito recens nupta, administrationi eius tantum commisisse, non dotis nomine dedisse habendam esse, idque, quia praesumenda non sunt negotia, imprimis lucratiua, quae dominio transferendo inseruiunt, et, quia nuptiae non exigunt ad sui substantiam dotis constitutionem, secundum, *l. vlt. C. d. Donat. ant. nupt.* Igitur standum est regulae, qua docemur, donandi animum, sui que iuris remissionem non esse praesumendam. Nosse debuit vir, sibi marito incumbere onera matrimonii, vnde, si dotem sibi constitui non curauit, de se queri debet, quodque exin damnum sentit, merito sentire non intelligitur.

§. VII.

Eiusdem argumenti continuatio.

Neque magis aduersae sententiae, et praesumptioni pro qualitate dotali adstipulatur cit. a *SCHILTERO Const. El. XXVIII. Part. I.* quae appellatione, *des Einbringens* dotem denotat. Est quippe haec vocula generalis, quod loquendi

di vsus satis comprobat, dotique pariter, atque paraphernis conuenit, nec adeo consequitur, propterea, quod Serenissimus Llator dotem, tanquam genus, siue speciem illatorum simpliciter illata dixit, vt. de omnibus illatis dotalis qualitas praesumi patiatur. Esse vero dictionem des Einbringens generalem, deque paraphernis magis, quam dote, vsitatam, facile, praeter loquendi vsum, testem inprimis in eiusmodi causis idoneum, ex §. 2. *Tit. XLIII. Ordinat. Iudicial. Sax.* intelligitur, cuius verba initialia ita se habent: Was aber die Eheweiber über das Ehegeld zubringen &c. vbi idem Serenissimus Llator, dotem, siue nostro idiomate das Ehegeld, esse illatorum speciem, quae non minus parapherna comprehendant, de quibus quippe in *cit. Spko* agitur, declarat.

§. VIII.

Neque grauiora sunt, quae his iungit LEYSERVS *cit. Refelluntur Leyseri argu-
menta.* *supra loc.* Etenim, quod ad locum istum CICERONIS attinet, statim apparet, eum de ista coniugii contrahendi ratione, quae per coemptionem fiebat, agere, quum sit notissimum, non omnes vxores in manum maritorum conuenisse, indeque ortam esse differentiam inter matronas et matresfamilias, neque consequitur, si hic opus fuit dotis constitutione, eadem semper, et in genere, opus fuisse, vt potius contrarium ex *supra cit. l. ult. Cod. d. Donat. ant. nupt.* pateat. Quod vero ad reliqua LEYSERI argumenta spectat, quae ex legibus petit, exinde nihil amplius consequitur, quam, quod constitui dos possit, etsi expressa dotis mentio facta haud fuerit, quod concedo, vt tantum rationes adsint, ex quibus animus, transferendi dominium rei vxoriae in maritum, colligi possit, quae est sententia CARPZOVII *P. I. C. XXVIII. d. 87.* ad quem frustra prouocant aduersarii. Esse vero eiusmodi rationem in



in illatione, quae fit statim, quo tempore contrahuntur nuptiae, positam, summopere nego. Nec hoc probat cit. a LEYSERO l. 30. D. d. I. D. quae de secundis nuptiis tantum, et in has translata dote agit.

§. IX.

Conclusio.

His igitur cum euicisse mihi videar, quae statim, nuptiis contractis, inferantur, habenda non esse dotalia, verum paraphernalia, siue vxoris propria, quoad administrationem vero, ex iure Romano, nostroque, quoad vsumfructum, ad virum pertinentia, idque, quia talia ipso iure existunt vxoris bona, dotalia vero, vel receptitia, pacto fieri debent, facile patet, multo minus admitti posse eorum sententiam, qui existimant, quocumque tempore, statim contracto, an durante coniugio, vxori oblata fuerint bona, dotalia ea esse habenda. Nostra vero sententia, qua, pro qualitate paraphernali praesumptionem subsistere, statuo, quamque iuris Romani rationi consentaneam demonstraui, multo magis nostris moribus conuenit. His nimirum parapherna pariter, atque dos, oneribus matrimonii ferendis inferuiunt. Vt vel interdum interfit mariti, dotem exiguam constitui, quod natura dotalitii probat in nobilibus, ne mariti heredibus nimis molestum illud euadat. Quod tandem ad ANT. FABRI sententiam in *Cod. L. V. T. IX. def. 13.* obuiam attinet, qui dicit, ex eo, quod parapherna, siue praeterdotalia, reliqua vxoris bona, extra dotem, dicantur, apparere, dote non constituta, nec parapherna cogitari posse, facile omnes consentient, ex ingenio magis, quam veritatis amore, promanasse. Decet enim interpretem non voces captare, sed ipsam rem inspicere, l. 29. D. d. LL. Inde iure suo hanc reuocit SCHILTER cit. *loc. th. 81.* et miror BERLICHIVM hac in re FABRVM fuisse secutum.




ULB Halle
006 385 451

3







8521.

1762, 5.

BONA VXORIS
PARAPHERNALIA ESSE
PRAESUMENDA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXIV. MART. A. C. MDCCLXII

DEFENDIT

THEOPHILVS RVDOLPHVS CVNITIVS

ZITTAV. LVS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEIMIA